



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Exempla duo de reverentia Sigillo Confessionis præstanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

sic interrogantem graviter reprehendere, & exponere, quòd talis interrogatio impia sit, & sacrilega, adeòque ad eam neque respondere velit, neque possit.

Quàm sanctè, non tantùm Superiores Ecclesiastici, sed & etiam iudices sæculares hoc venerentur Confessionis sigillum, patet ex innumeris exemplis, è quibus duo dumtaxat adjungo.

P R I M U M.

Celebris Autor Lusitanus (Rodericus à Cugna Archi-episcopus braccarensis tract. de Confess. sollicitantibus, q. 13. num. 38.) adfert extraordinarium exemplum revelatæ Confessionis sæculo 16. Circumstantiæ adeò particulares sunt, ut non possim non omnes adferre. Catalanus quidam, ait, ad mortem damnatus propter commissum homicidium, Sacerdoti confiteri denegabat, dum ad supplicium traheretur. Tantâ violentiâ cunctis exhortationibus in hanc causam ipsi datis, nullam tamen resistentiæ rationem allegans, persistebat in proposito, ut pertinacia illa ex mentis turbatione, ex metu mortis ortâ, proficisci videretur. Admonetur S. Thomas à Villa-nova Archi-Episcopus Valentix in Hispania: dignabatur sollicitus Archi-Præsul sese impendere, ut reum hunc ad Confessionem perduceret, nè anima simul cum corpore periret: sed S. Prælatus mirum in modum obstupuit, dum causam hujus negationis ex reo didicit. Pœnitens ei dicebat,

se meritò Confessionem horrere, cùm unice
 condemnatus esset in vim revelationis homicidii
 à Confessario suo factæ, quod ipsi in Confessione
 declaraverat. Quòd mortalium nullus perpetrati
 criminis conscius fuerit, sed quòd illud Confes-
 sario confitens, candidè totum crimen declara-
 set, locum, in quo occisum sepelierat, indicasset,
 aliasque omnes circumstantias. Has autem cir-
 cumstantias eo modo à Confessario revelatas
 coram Judice negare non potuerat, quod causa
 condemnationis ejus fuerat. Addebat, se post-
 modùm scivisse, quod non sciebat, dum confite-
 batur, Confessarium suum esse occisi Fratrem, &
 vindictæ desiderium Sacerdotem hunc ad Con-
 fessionis revelationem exstimulasse. His auditis
 judicavit Villa-Novanus hoc incidens ipsâ causâ
 attentius esse considerandum, cùm non jam de
 cujusdam punitione, sed de damno Religionis
 ageretur. Confessarium ad se appellari jussit, quo
 hoc revelationis crimen fasso, Judices coëgit
 sententiam revocare, & omnium plausu reum
 absolvere, ut exemplum inviolabilis reverentiæ
 erga Confessionis sigillum habendæ statueretur.
 & ut disciplinæ ordo observaretur, magnus hic
 Archi-Præsul hunc Confessarium puniri jussit.
 Verum est, quòd punitionem diminuerit in gra-
 tiam, quòd tam facilè crimen suum fassus fuis-
 set, & occasionem subministrasset monstrandi
 exemplum venerationis, quam & judices pro
 Confessionis sigillo habere tenentur. Subjicio
 ex Theophilo Raynaudo

A L T E R U M.

Horret animus ad Judæ novi sacrilegam
 avaritiam Anno 1579. diabolo incentore
 patratam. Caupo truculentus, apud Tolosates,
 exceptum hospitio advenam, jugulavit in Hy-
 pogæo, clam omnibus, ac ne domesticorum qui-
 dem ullo, vel sceleris administro, vel conscio.
 Post aliquod tempus, tangente Deo cor homi-
 cidæ, expiavit conscientiam apud Confessarium,
 eique cædem advenæ, & cædis modum, ac sepul-
 turæ locum aperuit. Nusquam comparente post
 non breve tempus eo, qui cæsus fuerat, cognati
 omnes latebras frustra scrutati, præmium
 publicè proponunt per præconem, iis, qui annun-
 tiarent, quid de illo homine factum esset. Cau-
 ponis Confessarius quæstum æstimans pietatem,
 auditâ mercede non contemnendâ indicibus
 constitutâ, furtim admonuit, quærendum esse in
 hypogæo cauponis: ibi enim infossam jacere, qui
 desiderabatur. Refossam est cadaver, & compre-
 hensus caupo, priusquam tormenta admoveren-
 tur, reum se cædis fassus est, quam tamen con-
 stanter negavit ab ullo mortalium, quam à suo
 Confessario prodi potuisse. Senatus apprimè
 Catholicus, comperto eo corrupto fonte notitiæ,
 quâ caupo gravabatur, habuit eum pro innoxio,
 nec passus est, perfidi, & omni notâ, ac multâ
 digni Confessarii delationem nocere reo, sed
 donec is aliundè parratæ cædis insimularetur,
 pronuntiavit insontem. Omnino Christianè, &

Re-

Religiosè, & ad consulendum incolumitati tam necessarij Sacramenti peropportunè. Confessarius idem, Senatu judicante, actus in furcam est, & cadaver crematum. Hæc laudatus Theophilus Raynaudus è Societate Jesu Theologus tom. 17. fol. 604. in suo Prato spirituali.

C A S U S XXIII.

Petrus Clericus cognovit Annam filiam Henrici, quæ concepit, & à parente in distantem longè locum missa, peperit masculum: quo post aliquot septimanas mortuo, reversa undè venerat, Confessarium adiit, qui noluit eam absolvere, nisi complicem noverit, & insuper dixit ei, quòd eam non absolveret, nisi illi daret facultatem utendi istà Confessionis scientiâ. Illa filia absolutionis impatiens, nominavit Petrum complicem, & prædictam facultatem dedit. Postmodùm accusatus fuit prædictus Clericus, qui jam pridem pœnitentiam egerat in cinere, & cilicio, & indè à superiore fuit punitus. Queritur, qualiter peccaverit Confessarius?

R. 1. Peccavit mortaliter. 1. Inducendo istam filiam ad detrahendum Clerico, & toties, quoties induxit, donec persuaserit. 2. Fuit sigilli Confessionis violator, quia viâ illicitâ extorsit ab ista filia facultatem utendi istâ scientiâ Confessionis. Unde talis Confessarius obligatur ad totalem restitutionem famæ Clerici infamati, & integram reparationem omnium damnorum indè secutorum.

Observandum in hac materia, quòd expressus, non coactus Pœnitentis consensus requiratur, ut

pec-

peccatum in Confessione auditum manifestetur, & quidem ille consensus peti non debet, nisi ob causam valdè gravem. Cæterùm satiùs videbitur Pœnitentem inducere, ut peccatum illud extra Confessionem declaret, quatenùs Confessarius ad ejus manifestationem securiùs procedere queat.

CASUS XXIV.

Episcopus firmiter intendit alicui, quem Sacerdotem credit, hominem probum, illiusque muneris capacem estimat, Pastoratum conferre; interim soli Deo, & Episcopo nota est hæc firma resolutio. Casu accidit, quòd is Sacerdos creditus confiteatur Episcopo, eique aperit se à decem annis Sacerdotalibus muniis functum fuisse, se tamen Sacerdotem non esse, quia literas falsas exhibuerat. Aperit ulterius se versari in multiplici peccaminoso habitu, putà Sodomie &c. Queritur 1. An Episcopus teneatur remanere in resolutione sua conferendi Pastoratum? 2. An Episcopus, supposito eum non obligari, peccet mortaliter, si huic falso Sacerdoti in tali statu Pastoratum conferat?

Ratio dubitandi est, 1. Quia aliqui credunt, quòd utatur scientiâ haustâ solùm ex Confessione, quod citrà sacrilegium fieri non posse arbitrantur, dum illud spectat ad personam determinatam. 2. Quia uteretur istâ scientiâ in detrimentum illius hominis, cujus conditio fit pejor, propter scientiam ex Confessione acquisitam; nam Parochus fuisset, nisi supra-dicta Confessio eum indignum demonstrâset.

Et. Ad

R. Ad 1. Episcopum non obligari ad manendum in proposito suo, quia nullus obligatur perseverare in proposito malo, cujus executio adversatur gloriæ Dei, & saluti plurimarum animarum, quando fruitur plenâ libertate mutandi hoc malum propositum. Præfatus autem Episcopus plenâ istâ libertate fruitur, nam in particularibus circumstantiis, uti potest scientiâ ex Confessione habitâ de indignitate illius hominis, ista propositi mutatione nullum præjudicium adferente sigillo Confessionis, cum ista intentio soli Deo, & Episcopo nota sit, proinde periculum non est Confessionem odiosam reddendi.

Ad 2. R. quòd Episcopus peccaret mortaliter, si in tali casu isti prætenso Sacerdoti Pastorum conferret, quia absque crimine malum propositum executioni dari non potest, dum ad illud exequendum nulla est obligatio.

C A S U S XXV.

Cajus Titium, primariâ quâdam dignitate, ad quam instat electio, dignum putat, & suffragium suum in eum ferre meditatur; interim Cajo confitetur Titius, eumque prorsus indignum, & incapax reperit. Queritur, an Cajus suffragium suum non dare possit Titio, licet ejus indignitas, & incapax solùm per Confessionem sibi innotescant?

R. Cajum (nisi ante declarasset suam intentionem) posse Titio non dare suum suffragium, quia licet utatur scientia ex confessione hausta, fit tamen sine violatione sigilli, quia seposita illa scientia, posset suffragium suum alteri conferre.

CA.